

lium. Adeo quicquid a sua recessit natura in peiorum degenerat speciem quam si natura malitiam ingenuisset. Vis scire quam ferina, quam foeda, quam non digna homine res sit bellum? Spectastisne aliquando leonem cum ursus commissum? Qui rictus, qui rugitus, qui fremitus, quae immanitas, quae laniatio! Inhorrescit qui spectat etiam in tuto. At quanto foedius spectaculum, quanto immanius, videre hominem cum homine tot armis, tot telis instructum configgere! Quæso te, quis homines crederet, nisi consuetudo mali sustulisset admirationem? Ardent oculi, pallent ora, furorem praefert incessus, frendet vox, clamor insanus, totus homo ferreus est, crepant arma, fulminant bombarde. Mitius erat si cibi causa homo hominem devoraret, si sanguinem hauriret; quanquam huc quoque ventum est a quibusdam, ut id odii gratia faciant, quod excusatius faceret usus aut necessitas. At nunc idem fit crudelius telis veneno tinctis, tartareis machinis. Nullum usquam hominis vestigium. An credas hic ipsam naturam agnituram quod condidit? Et si quis admoneat, an non merito